

## DE SAMPSA ET SANDAPILA

1) Cum voce *sampsā* olivae tritae designentur, origo Graeca verisimilis videtur, cf. *oleum*, *oliva*, et ea Dorica, cf. *machina*. Itaque vocem e dor. σᾶψις (att. σῆψις) derivatam putabimus. Atque vim eius vocis Liddell-Scott-Jones ita definiunt: *fermentation, putrefaction...* Quod optime quadrat in pulpam, quae cito fervescit. De nasali *-m-* infixā cf. ea, quae Frisk GEW 652 docet de vocibus: θάμβος: ταφεῖν, θρόμβος: τρέφειν. Cf. praeterea κερπός: κέρπος (id., s. v.); λαγκρούζεσθαι Phot. (ib., s. v.): λακερούζεσθαι; σιφλός, σιφνός: σίμβλος. Finem vero vocis *-is* in *-a* abiisse in voce rustica non mirabimur, forsitan etiam exemplum vocis *massa* ante oculos versatum sit.

2) Voce *sandapila* feretrum designabatur, quo pauperes, gladiatores, homines scelerati efferebantur, cf. PWRE s. v. Cuius vocis priorē partem *sanda-* cum gr. σιάνθαν κράββατον Hes. conferendam putamus, cum significatio verborum bene congruat. De sonis vero (*c*): (*s*)*c* inter se mutatis cf. notissimas illas voces, quae sunt ἀξίλη: *ascia*, ἰξός: *viscum*. Neque neglegenda sunt, quae apud Ernout-Meillet DELL s. v. *ascia* leguntur: „c'est qu'un mot technique, comme celui-ci (sc. *ascia*), peut avoir une histoire autre que des mots de la langue générale tels que *axis*, *texo*.“ Atqui etiam in voce *sandapila* de lingua collegii cuiusdam agitur. Porro a voce σιάνθαν non longe absunt voces κανθήλια n. pl., lat. *cant(h)erius*. Posterior pars vocis *sanda-pila* obscura est, tamen forsitan vocem *mani-pulus* conferre liceat.

Ljubljana.

M. Grošelj.